

et male agere oppido timuerant. Quem cum alio modo, alio tempore, alio conamine persequi non auderent, in tempore pacis sacratę et a sanctis patribus institutę in sollempnibus ieiuniis, in quadregesimalibus observantiis, in monasterialibus insigniis sancti Donatiani Brugensis viri iniqui et coniurati insurrexerunt non tam in egregium Karolum comitem, quam in suam suorumque perniciem, obprobrium in proprium et confusionem. Dum enim pro more suo idem non sine luctu nominandus comes Karolus misse sacramentis interesset, dum psalmos penitenciales in codicello sibi familiari precineret<sup>1</sup>, dum etiam devote orando cor suum Domino effunderet et interim elemosinam cum distributione nummorum fratribus pauperibus oportune inportune se ingerentibus perficeret<sup>2</sup>, ex inproviso a suis non tam famulis, quam traditoribus perversis et Flamingis ferocissimis pro iustitia penam excepit. Quodque est absurdum et nimis ę natura dictum, ne dicam factum, nimium, inquam, ac monstruosum, acsi in ultionem pacis, quam tuebatur omnimodis, cervix eius perpulchra cruore sui pro dolor! ferrum<sup>3</sup> audacis pre aliis cuiusdam Bulcardi<sup>4</sup> et insanientis ad mortem usque infeliciter sibi etiam ipsi, qui hoc idem scelus perpetravit, sicut non longe postea claruit, illinuit. Sed quoniam non est nostri propositi per singula evolvere, quomodo propter iniquitatem facti in stuporem et sibilum et in omnimodam plebis abiectionem condigna et exquisita multati sunt ultione, quidam confixi in pariete abstracta prius cute, continuato a capitis vertice usque ad inguina vulnere, quidam in altum erecti, extensi et depressi totum corpus rotarum vertigine<sup>5</sup>, pars maxima horribili saltu de eadem, qua conspiraverant, conglobati factiones suas contueri, immensa Brugensis arcis altitudine<sup>6</sup>, quomodo etiam plerique eorum mancis sive truncatis manibus cum lacertis, tibiis cum pedibus perforatis, poplitibus traiectis, sudibus suspensi in immundis locis capite deorsum verso turpi morte periere<sup>7</sup>, iccirco rem in medio derelinquimus, necnon de substitutione subsequentis comitis Guuillelmi<sup>8</sup>, videlicet filii Roberti predecessoris comitis Normannie, a Ludovico rege Francie facta, Flandigenarum climata post mortem Karoli sub ditione sua cuncta redigente, conatu frustrato Henrici regis Anglię<sup>9</sup>, qui felicibus actibus

1) Vgl. Walteri Vita Karoli comitis c. 25, SS. XII, p. 549; Gualberti passio Karoli c. 12, ib. p. 568. und c. 15, p. 569; Anonymi vita c. 6, ib. p. 621. 2) Seine Freigebigkeit und Wohlthätigkeit rühmt auch die Vita Walters c. 11 a. a. O., p. 544. 3) Undeutlich geschrieben. 4) In der Vita des Walterus Burchardus genannt, in der Passio Karoli comitis des Gualbertus heisst er Borsiardus, in der Vita des Anonymus Borchardus. 5) Vgl. Vita Karoli c. 42 a. a. O. p. 556. 6) Vgl. Vita Karoli c. 50 a. a. O. p. 559. 7) Vita Karoli c. 33 a. a. O. p. 352 'partim patibulis appensi, partim in cloacas iactati'. 8) Wilhelm Clinton. 9) Heinrich I.